



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Maximiliani Sandæi E Societ. Iesv Doct. Theol.
Paradisvs Amantium, Colentium, Imitantium Christvm
Crcifixvm**

Sandæus, Maximilianus

Coloniae, 1648

74. Promouet eius honorem institutione Fraternitatum, aut
Congregationum cultui Passionis Dominicæ, & Cruci dicatarum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55065)

IV.

AMATOR CRUCIFIXI

promouet eius honorem, institutione fraternitatum, aut Congregationum, cultui Passionis Dominicae, & Crucis dicatarum.

74.

ARCHI-
FRATER-
NITAS
Crucifixi
Colonia.
Asylum
conuerso-
rum ad
fidem.

Munus
Confra-
trum.

TALES sunt plurimę in orbe Christia-
no: illustris vna, titulo Archicon-
fraternitatis, Coloniae, apud Patres Ca-
puccinos, cuius hæc origo.

Antonius Episcopus Vigiliarum, Apo-
stolicę Sedis Nuncius, Pauli V. Ponti-
ficis Max. mandato, pro conuertendis hæreticis, & conuersis alendis, ius-
sus fuerat nonnulla sanctitatis asyla
piorum hominum instituere, ad quę
de medio Babylonis fugientibus ac-
cessus esset, & in quibus de salutaribus
remedijs vulneratę huic patrię adhi-
bendis, consultatio fieret.

Itaq; Nuncius Apost. illud inter alia
securissimum ratus est, si Cõfraternitas
Ecclesiasticorum secularium Virorum, cuius-
cumq; ordinis, dignitatis, aut ætatis i-
doneę huic instituto in Ecclesia Patrum
Capuccinorum S. Francisci Coloniae sub
inuocatione acerbissimę PASSIONIS D.
N. IESU CHRISTI, eiusq; viuificę CRUCIS

erigeretur. Cuius Confratres pijs virtutum exercitijs inflammati se mutuo ad pietatem, zelumque DEI exacuere, & in proximorum salutem promouendam ardentius incumbere, illius insistentes vestigijs, cuius ipsi exemplar imitandum proposuerant. Quare

ANNO M. DC. XII. die Parasceues S. *Institutio*
Sedis Nuncius, auctoritate Apostolicâ *Archicon-*
cepit, instituit, erexit & fundauit *fraterni-*
Archifraternitatem Dominicæ PASSIONIS *tatis.*
& CRUCIS, additis regulis & ordinatio-
nibus. Deinde accessit elegans Orato-
rium, in quo qualibet sextâ hebdoma-
dis feria habetur Latina Concio, & de
fide propaganda consilium initur. Mul-
ti autem ad Ecclesiæ gremium reuer-
rentes benignum almæ Matris experi-
untur sinum.

Eandem Archifraternitatem Chri- *Cultores*
stiana caritate complexi sunt, præter se- *Archicō-*
culares, inter quos magni Principes, *fraterni-*
etiam Religiosi, PP. Carmelitæ, Domi- *tatis.*
nicani, Societ. IESV, Cappucini, Discal-
ceati, vt marmori inscriptum program-
ma docet.

Ex Actis & tabulis, Archifr.

Ægidius Gelenius in Colon. Magnes. lib.
3. Syntag. 115.

H

V. A.

V.

AMATOR CRVCIFIXI

metuit ne ipse crucifixerit Christum, metuitque suos sollicitè, ne ipsi Christum crucifigant.

75.

S. PACHOMIUS.

INTER Amatores CRVCIFIXI merito nominatur S. PACHOMIUS, ille Monachorum Patriarcha, cuius memorabilem visionem, cum ab Angelo Regulam monasticam accipere refert Dionysius Exiguus, sic scribens in eius Vita.

Visio.

Adfuerunt super eum (Pachomium) Angeli lucis, & Iuuenis in medio eorum, ineffabili pulchritudine, atque claritate resplendens, qui instar Solis, ex se fulgoris radios emittebat, habens super caput CORONAM SPINEAM. Et levantes à terra Pachomium Angeli dicunt ei: Quoniam peristi à Domino misericordiam, ecce veniet tibi misericordia tua, DEVS gloria IESVS CHRISTVS Filius DEI Patris unigenitus, qui missus est in hunc mundum, & pro salute generis humani CRVCIFIXVS est SPINEAM ferens in capite CORONAM. Et Pachomius ait: Oro, Domine, nunquid ego te CRVCIFIXI? Et Dominus placidior ait ad eum: Non tu quidem